

## Band II., Nr. 491, Seite 306-310

*Papst Cölestin III. nimmt das Kloster Salem mit genannten Besitzungen in seinen Schutz und verleiht demselben vielfache neue Begünstigungen.*

Lateran, 1194. November 6.

Celestinus episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis, Heberhardo, abbati monasterii sanctę Marię de Salem, eiusque fratribus, tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et prefatum monasterium sanctę dei genitricis et virginis Marię de Salem, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cistertiensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quęcumque bona idem monasterium impresentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis et appenditio eius. Vorst, Adelsriuti cum ecclesia, decimis et appenditiis suis: scilicet Wartinberc, Witinwilare; Tephnhardt cum appenditio suo Hahelbach<sup>1</sup>; Bebinwilare cum pertinentiis suis; Sweindorf cum pertinentiis suis. Omnes etiam mansus in monte qui dicitur Richoluesperc<sup>2</sup> claustro adiacente; Bremuel et Thiufenhuliwe cum pertinentiis suis; Hohenbüch; ecclesiam in Franchenhoun cum omnibus decimis suis; Wolfgangeswilare<sup>3</sup> cum appenditiis suis; Grindilbüch cum pertinentiis suis; Reitenhaselach cum omnibus apenditiis suis; Dorfisberc<sup>4</sup> cum decimis et appenditiis suis; Muron cum decimis et pertinentiis suis; Mencilshusin cum appenditiis suis; Fahsriet cum appenditiis suis. Paludem quoque adiacentem claustro, inter terminos abbacie et rivum qui dicitur Blawac latitudine, longitudine

<sup>1</sup>Vermutlich das vorerst ungeklärte Haselbach.

<sup>2</sup>Unermittelt.

<sup>3</sup>Unermittelt.

<sup>4</sup>Ober, Mittel und Unter Dornsberg.

vero sursum usque ad terminos villarum Leistetin scilicet [et] Frikingin, sursum autem usque ad nemus comitis pertingens. Ringenhusin cum appenditiis suis; ecclesiam Bachöboton cum omnibus decimis suis. Eandem quoque villam cum omnibus pertinentiis suis; Osterdorf<sup>5</sup>, Oberwilare cum omnibus hominibus suę proprietatis. Vcinswilare<sup>6</sup> cum ecclesia, decimis et appenditiis suis. Mansum dimidium in eadem villa ex donatione comitis Lödewici. Ibidem mansum unum, qui fuit feudum Burchardi et Hugonis a Chönrado de Tegenhusen. Alia quoque predia quę in eodem loco elemosine donatione, vel emptione, vel concambio iuste acquisistis. Ecclesiam in Ketenach[er] cum decimis et pertinentiis suis; curtem unam ibidem; decimas in Grindilbüch. Item predium unum in Swingrūven, et aliud in Thephenhart et Alberswilare et in loco qui Uelwen<sup>7</sup> nuncupatur. Item duos mansos in Madach et Richoltesbruel<sup>8</sup> ex donatione palatini de Thuwingen. Item mansum dimidium ibidem, qui fuit feudum Hugonis de Vrendorf. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, tam de terris cultis quam incultis, sive de ortis [sive] de virgultis et piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in vestro monasterio professionem fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis forte retinere presumpserit, licitum sit vobis in ipsos monachos sive conversos sententiam regularem proferre. Illud districtius inhibentes, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesię vestrę collatum liceat alicui personaliter dari, seu alio modo alienari absque consensu tocus capituli, vel maioris partis et sanioris. Si quę vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factę fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hęc etiam prohibemus, ne aliquis monachus sive conversus sub professione domus vestre astrictus sine consensu et licentia abbatis et maioris partis capituli vestri pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo recipiat ultra precium capituli vestri providentia constitutum. Quod si facere presumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. Licitum preterea sit vobis in causis propriis, sive civilem sive criminalem contineant questionem, fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium ius vestrum in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus episcopus vel quelibet alia persona

---

<sup>5</sup>Eschendorf.

<sup>6</sup>Wohl Gut Weilers in Klöcken, nicht Fitzenweiler.

<sup>7</sup>Felben, Markdorf, FN, A, oder Felben, Bodnegg, RV.

<sup>8</sup>Verschwundener Name; die Beszung gehörte wohl zum Madachhof oder in der Nähe davon.

### III

ad sinodos vel conventus forenses vos ire, vel iudicio secculari de vestra propria substantia vel possessionibus vestris subiacere conpellat, nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel aliquos publicos conventus convocandi venire presumat; nec regularem electionem abbatis vestri inpediat; aut de instituendo vel removendo eo qui pro tempore fuerit contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Si vero episcopus, in cuius parrochia domus vestra fundata est, cum humilitate ac devotione qua convenit requisitus, substitutum abbatem benedicere et alia quę ad offitium episcopale pertinent vobis conferre forte renuerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novitios benedicere et alia quę ad offitium suum pertinent exercere, et vobis omnia ab alio episcopo percipere quę a vestro fuerint indebite denegata. Illud aditentes ut in recipiendis professionibus, quę a benedictis vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint episcopi forma et expressione contenti que ab origine ordinis noscitur instituta: ut scilicet abbates ipsi salvo ordine suo profiteri debeant, et contra statuta sui ordinis nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto, vel quolibet ecclesiastico sacramento nullus a vobis, sub obtentu consuetudinis, vel alio modo, quicquam audeat extorquere; set hæc omnia gratis vobis episcopus diocesanus impendat; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem sacrosancte Romane sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Quod si sedes diocesanæ episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis; sic tamen ut ex hoc in posterum propriis episcopis nullum preiudicium generetur. Quia vero interdum priorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum, Romane sedis, ut diximus, communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab illo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium, ordinationes monachorum auctoritate sedis apostolice recipere valeatis. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasteria vestra vel personas inibi constitutas suspensionis et excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros, pro eo quod decimas non solvitis, vel aliqua occasione eorum que ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu in benefactores vestros pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate prestiterint vel ad laborandum adiuverint in illis diebus in quibus vos laboratis et alii feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam tamquam contra sedis apostolice indulta prolatam duximus irritandam; nec littere ulle firmitates habeant, quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra tenorem apostolicorum privilegiorum constiterint impetrari. Preterea cum commune interdictum terrę fuerit, liceat vobis in vestro monasterio, exclusis excommunicatis et interdictis, nichilo-

#### IV

minus divina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, homines temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates, a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, nec non libertates, exemptiones secularium exactionum, a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus et presenti[s] scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; set omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et in predictis ecclesiis diocesanorum episcoporum canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove conmonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen.<br><br> Datum Laterani, per manum Centii, sancte Lucie in Orthea diaconi cardinalis, domini pape camerarii, VIII. idus Novembris, indictione XIII., incarnationis dominice anno MCXCIII., pontificatus vero domni Celestini pape tercii anno III.

Nach dem in vier Bänden in fol. bestehenden, sehr sorgfältig auf Pergament geschriebenen, dem Hauptbestand nach dem dreizehnten Jahrhundert angehörigen *Diplomatarium Salemitanum* im GLA Karlsruhe, Bd. 1, Nr. 5, S. 12-17, unter dem Rubrum *Priivilegium Celestini pape III. Super Salem et quibusdam prediis eius.*

## Überlieferung und Publikationen

### Lagerort:

GLA Karlsruhe

### Signatur/Titel des Originals:

B 53; 67/1162 S. 12-17 Nr. 5

### Überlieferung und Textkritik:

Original und Abschrift in Karlsruhe.

### Regesten:

PHILIPP JAFFÉ (HRSG.): Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII, 2. verb. und verm. Aufl. bearb. von Samuel Löwenfeld, Ferdinand Kaltenbrunner und Paul Ewald, 2 Bde., Leipzig 1885-88 17156. Germania pontificia, Bd. 2,1, S. 165, Nr. 16.

## Weitere Angaben

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Lateran

### Ortsindex:

Adelsreute Wohnplatz (20013)<br> Adelsreute, Ravensburg, RV<br> Alberweiler Wohnplatz (18288)<br> Alberweiler, Tettnang, FN<br> Bachhaupten Wohnplatz (21201)<br> Bachhaupten, Ostrach, SIG<br> Behweiler Wohnplatz (18147)<br> Behweiler, Oberteuringen, FN<br> Bremfeld Wüstung (23877)<br> Bremfeld, Ehingen (Donau), UL, W<br> Deggenhausen Wohnplatz (18480)<br> Deggenhausen, Deggenhauser-  
tal, FN<br> Eschendorf Wohnplatz (21208)<br> Eschendorf, Ostrach,  
SIG<br> Felben Wohnplatz (19319)<br> Felben, Bodnegg, RV<br> Felbenhof : Ittendorf, Markdorf FN<br> Felbenhof Wohnplatz (18021)<br> Fessenried Wüstung (23999)<br> Fessenried, Heiligenberg, FN, W<br> Fitzenweiler Wohnplatz (18023)<br> Fitzenweiler, Markdorf, FN<br> Forsthof, Forsthaus : Schloss Salem, Salem FN<br> Frankenhofen Wohn-  
platz (16774)<br> Frankenhofen, Ehingen (Donau), UL<br> Frickingen Wohnplatz (17832)<br> Frickingen, FN<br> Gründelbuch (Schä-  
ferhof) Wohnplatz (14022)<br> Gründelbuch (Schäferhof), Buchheim,

TUT<br> Hahelbach<br> Haselbach<br> Hohenbuch Wüstung (23856)<br> Hohenbuch, Allmendingen, UL, W<br> Irndorf Wohnplatz (14106)<br> Irndorf, TUT<br> Kettenacker Wohnplatz (21059)<br> Kettenacker, Gammertingen, SIG<br> Klöcken Wohnplatz (20082)<br> Klöcken, Ravensburg, RV<br> Leustetten Wohnplatz (17838)<br> Leustetten, Frickingen, FN<br> Madachhof Wohnplatz (14483)<br> Madachhof, Mühlingen, KN<br> Maurach Wohnplatz (18459)<br> Maurach, Uhltingen-Mühlhofen, FN<br> Mendlishausen Wohnplatz (18247)<br> Mendlishausen, Salem, FN<br> Mittel Dornsberg Wohnplatz (14303)<br> Mittel Dornsberg, Eigeltingen, KN<br> Ober Dornsberg Wohnplatz (14307)<br> Ober Dornsberg, Eigeltingen, KN<br> Oberweiler Wohnplatz (21222)<br> Oberweiler, Ostrach, SIG<br> Raithaslach Wohnplatz (14670)<br> Raithaslach, Stockach, KN<br> Richoltesbruel<br> Richoluesperc<br> Ringenhausen Wohnplatz (20960)<br> Ringenhausen, Horgenzell, RV<br> Rom, Latium, Italien<br> Schloss Salem : Salem FN<br> Schloss Salem Wohnplatz (18257)<br> Schwandorferhof Wohnplatz (18260)<br> Schwandorferhof, Salem, FN<br> Schweingruben (Vordere und Hintere) Aufgegangen (33673)<br> Schweingruben (Vordere und Hintere), aufgegr. in Münchhöf, Eigeltingen KN<br> Tepfenhart Wohnplatz (20974)<br> Tepfenhart, Horgenzell, RV<br> Tiefenhülen Wohnplatz (16795)<br> Tiefenhülen, Ehingen (Donau), UL<br> Tübingen Wohnplatz (16214)<br> Tübingen, Tü<br> Unter Dornsberg Wohnplatz (14318)<br> Unter Dornsberg, Eigeltingen, KN<br> Wartinperc Wüstung (24107)<br> Wartinperc, Ravensburg, RV, W<br> Wittinwillar Wüstung (24108)<br> Wittinwillar, Ravensburg, RV, W<br> Wolfangeswilare